

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0816

0814

0820

0810

0825

0805

0865

0765


0915

0715

0315

Ende

Anfang



243

ideo oportebat eos cogere vi. Successu ergo temporis diversae
dissensiones in Jerusalem sunt ortae inter Sarracenos Chri-
stianosque, et gravabant Sarraceni Christianos multis, a qui-
bus gravaminibus saepe liberati fuerunt per imperatores.
Unde anno 670. Constantinus tertius, licet vir esset pessimus,
tamen septies liberavit civitatem sanctam et dominicum se-
pulchrum ab oppressione Sarracenorum. Et post eum Con-
stantinus IV. multas molestias intulit Sarracenis in Jerusalem
et alibi, ubi Christianis infesti erant. Verum tamen
dominium super Jerusalem tenuerunt Sarraceni, nec poterant
jugum graecum imperatores nostri tollere a civitate sancta.
Anno Domini octingentesimo tertio, tenente imperium Carolo
Magno et christianissimo, erant Christiani in Jerusalem et in
toto oriente in tribulatione magna sub paganorum jugo et
ingemiscientes postulabant auxilium a Constantino VI. hujus
nominis, imperatore constantinopolitano, et ab Irene, ejus
matre. Sed quia Graecorum virtus et potestas debilitata
nimis fuerat, auxilium tribulatis suis viribus praestare non
poterant. Eo tempore Leo, Papa tertius, Carolum Magnum,
Francorum regem, pro suis meritis egregiis Romani imperii
dignitate, quae quingentis fere annis a Constantino Magno
fuerat amissa et iam nimia vetustate oblitterata, magnifice
sublimavit et imperium occidenti restituit.

Carolus autem, Augustus appellatus, imperatorum nomen
dignitatemque suscepit et imperavit annis 14, mira gessit in
toto terrarum orbe suaeque genti, Germanis, gloriam et ho-
norem attulit. Erat etiam Carolus iste theutonicus, sicut
manifeste patet per eam venerabilem declarationem et
. . . . Decretalium, ubi dicitur in textu: Apostolica sedes
Romanum imperium in personam magnifici Caroli a Graecis
transtulit in Germanos. Et in Appa. 2. idem dicitur. Legitur etiam
in chronicis, quod cum ecclesia Romana opprimeretur a Lon-
gobardis, petiit Papa auxilium a Constantino et Leone, ejus
filio, imperatoribus constantinopolitanis. Et cum nollent pa-
trocinari ecclesiae Romanae, transtulit imperium Romanum in
Carolus Magnum, filium Pipini, quem ipse substituerat Lu-
dovico regi Francorum, quem deposuerat.

16 *